

tere mutuum ab usurario aut aliquod Sacramentum a sacerdote in peccato existente, tunc dicimus quod cum adest causa necessitatis, aut notabilis utilitatis, licet illam petere; præcisa autem hac causa, postulans etiam peccat graviter, tam contra charitatem, quam contra virtutem; ita Sanch., Molin., Busemb., Roncag., Tambur., Salmant. etc. (1).

28. Aliquando cum grave incommodum non adest, tenemur derelinquere nostra bona temporalia, et etiam spiritualia, modo ad salutem non sint necessaria, ut evitemus grave scandalum pusillorum. Sed hic bene advertit s. Thomas (2) quod, admonito proximo, ejus scandalum evadit pharisaicum, ita ut non teneamur amplius illud evitare (3). An autem, ut evitetur scandalum pusillorum, adsit obligatio omittendi præcepta positiva, ut auditionem Missæ, jejunium, etc. Dicimus probabiliter affirmandum; quia præceptum naturale impediendi scandalum, nempe alterius peccatum (advertendum tamen aliud esse impedire peccatum, aliud impedire admirationem), præferendum est præcepto positivo. Hoc tamen non intelligitur quoad semper (etiamsi actio non esset de præcepto, sed ex simplici devotione, aut indifferens), sed tantum semel atque iterum: alias esset illi gravi incommodo, ad quod non obligat charitas; ita Cajet., Nav., Sanch., Azor., Less., Salm., etc. (4).

29. Peccant graviter scandali mulieres, quæ pectore immoderate denudato se ostentant, aut saltem usum, ubi non adest, introducunt, licet ea denudatio non sit immoderata; ita s. Antonin., Nav., Less., Laym., et alii communiter (5). Etiam graviter peccant scandali illi, qui elucubrant aut agunt comedias notabiliter obscenas. Et idem dicendum de picto-

(1) n. 47. v. Si autem res. — (2) 2. 2. q. 43. a. 7. — (3) Lib. 2. n. 50. et 52. — (4) Lib. 2. n. 51. et 53. v. Si ergo. — (5) n. 55. v. Quær.

ribus, qui pingunt, aut in publico exponunt imagines positive turpes (6).

30. Dicimus contra cum Sanch., Soto, Navar., Molin. Cajetan., Silvest., Salmantic., etc. confirmati s. Augustini auctoritate (contra alios) licere minus malum suadere, ut majus evitetur, quod proximus paratus est exequi; quia tunc qui suadet, non procurat malum, sed bonum, suadens minus malum, licet alterius sit speciei (7). Ita etiam licet domino, aut parenti non auferre occasionem furandi servis, aut filiis, qui jam parati sunt ad furandum, ut in delicto comprehensi, melius emendari possint. Ob id permittunt dd. multi posse etiam offerri occasiones furandi, permittendo ut furentur, ut evitentur delicta futura (8), duce s. Thoma, qui sic ait: *Inducere ad peccandum nullo modo licet: uti tamen peccato alterius ad bonum licitum est* (9).

#### PUNCTUM V.

##### DE COOPERATIONE MATERIALI.

31. Cooperatio materialis communiter admittitur uti licita a dd. cum justa adest causa. Sciatur hic quod alia est cooperatio *formalis*, quæ evenit cum directe cooperatur ad peccatum (ut est in eo, qui fornicatur); aut cum influit in pravam voluntatem proximi volentis peccare, ut esset servare terga latroni, aut sicario, ut securius foretur, aut occidat: scribere litteras amatorias vice concubinariæ aut afferre dona concubinae: accipere dona ab eo, qui tuæ honestati insidiatur. Hæ et his similes cooperationes sunt intrinsece malæ, quia ipsis datur ansa proximo ad peccatum exequendum, aut saltem istius prava voluntas fovetur, ideoque nulla ex causa, ne mortis quidem, excusari possunt a mortali. Alia vero est cooperatio *materialis*, quæ est cum actio est indifferens, et proximus potest ea uti sine peccato, sed ille sua

(6) n. 56. — (7) n. 57. — (8) n. 58. — (9) 2. 2. q. 78. a. 4.

malitia ea abutitur ad peccandum, ut esset mutuari pecuniam ab aliquo, qui eam non vult dare sine fœnore: ministrare vinum ei, qui eo abutitur ad ebrietatem; dare claves illi, qui eis utitur ad furandum.

32. Itaque hæc materiales cooperationes possunt esse licitæ, si tres condiciones concurrunt: 1. Ut actus tuæ cooperationis (ut jam dictum est) sit ex se indifferens. 2. Ut ex officio non tenearis impedire alterius peccatum. 3. Ut causam justam et proportionatam habeas sic operandi, nam tunc proximi peccatum non provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia illius, qui abutitur tuo opere ad peccandum: itaque tunc non est actio tua, quæ conjungitur pravæ voluntati proximi, sed ille conjungit suam pravam voluntatem tuæ actioni; unde fit, quod actio tua non est causa illius peccati; sed est tantum occasio, quam tu non teneris auferre, quando habes justam causam eam ponendi; et sic licitum est cauponi dare vinum ebriaturo semper ac alias grave metueret damnum; ita Sanch. Tourn. Bonac. Busemb. et alii commun. Dictum est, *causam justam et proportionatam*, quia quanto proximior est tua actio proximi peccato, eo major debet esse causa, quæ te excuset. Ad judicandum, quando causa sit justa et proportionata, ante omnia pro regula sit observare quod dicunt dd., quia cum hoc pendeat prudentum æstimatione, sententia in hac materia communior erit etiam probabilior. ut dicemus etiam loquendo de gravi materia furti, *Tract. X. n. 22*. Præterea cum agitur de præjudicio proximi, tenenda est hæc regula, quod non possumus cooperari damno alterius, nisi quando damnum quod timemus bonis nostris, sit ordinis superioris, v. g. cum aliquis tibi minuat mortem, nisi tu coopereris morti sui inimici. præbendo v. g. eusem; tu non potes eum illi dare, quia non potes positive concurrer-

mortem alterius, ut liberes te a morte. Ita etiam cum fur minatur tibi auferre bona tua, nisi coopereris, ut ille surripiat bona alterius, nec potes quidem cooperari. Secus esset, nisi coopereris, ut ille surripiat illa bona, tu subiturus esses vitæ, aut famæ dispendium, quia tunc cum in extrema sis constitutus necessitate, tenetur proximus ad permittendam tibi illam cooperationem in suorum honorum jacturam, ne tu vita, aut fama pericliteris (1). Observa etiam super hoc quod dicitur *Tract. X. num. 56*.

#### CAPUT. III.

##### DE RELIGIONE, ET VITIIS EI OPPOSITIS.

33. De religione.

34. Punct. I. De superstitione, et præcipue de astrologia, somniis, ensalmis, et sortibus.

35. De virga divinatoria.

36. De vana observantia.

37. De pulvere sympathico.

38. Punct. II. De tentatione

39. De sacrilegio

40. ad 49. De simonia, et ejus divisione.

50. ad 53. De pœnis simoniæ et absolutioe.

33. Virtus religionis princeps est inter virtutes morales et definitur: *Est virtus debitum cultum Deo exhibens*. Duo vitia huic virtuti adversantur. Superstitio nempe per excessum, et irreligiositas per defectum. Superstitio tres continet species, *idolatriam, divinationem, et vanam observantiam*. Irreligiositas quatuor alias continet species, *tentationem Dei, sacrilegium, simoniam, et perjurium*.

#### PUNCTUM I.

##### DE SUPERSTITIONE.

34. Superstitio definitur: *Est vana, seu falsa religio, indebitum Deo cultum exhibens*. Propterea superstitionis duplex est, *cultus indebiti, et rei culte*. Cultus indebiti est cum Deo exhibemus cultum falsum, ut si laicus vellet Missam celebrare, aut si exponerentur reliquiæ falsæ, aut si

(1) Lib. 2. c. 59. et 1. 3. n. 57.



fingerentur falsæ visiones, revelationes, aut miracula, aut alia adinventata, ut augetur devotio: quæ omnia ex genere suo sunt peccata mortalia. Aut cum Deo cultum supervacaneum exhibemus, ut esset audire Missam a sacerdote talis nominis, aut vultu converso ad Orientem (1). Superstitio autem *rei cultæ* est, cum cultum, qui Deo debetur, exhibemus creaturis. Hinc prohibita est *idololatria*, qualis est illa gentium, qui pro diis homines venerantur, pecudes, herbas, statuas, etc. *Divinatio*, quæ est prædictio eventuum futurorum, ope dæmonis facta cum pacto expresso, aut tacito: unde illicita est 1. *astrologia judiciaria*, quæ prædicat futura a libera hominum voluntate dependentia. Ad differentiam *naturalis*, quæ ex motu planetarum augurat pluvias, aut sterilitates, aut ex momento nativitatis auspiciatur inclinationes, aut temperamenta personæ, hæc cæteroquin licita est, sed sæpe sæpius est vana et inutilis (2). 2. Ita etiam est graviter illicitum constanter credere *somniis*, ut quis proprias actiones dirigat, ut futuros eventus prædicat, nisi moralis certitudo habeatur quod talia somnia sint a Deo (3). 3. Ita etiam est illicitus *ensalmus constitutivus*, qui est quædam oratio certis et determinatis verbis constans, ad morbos sanandos ordinata. Et hoc est peccatum mortale, cum effectus creditur infallibilis, præcipue si verba sint vana, aut falsa, aut scripta certo peculiari modo. Contra est licitus *ensalmus invocativus*, quo a Deo postulatur sanitas, quin credatur effectus infallibilis (4). 4. Illicitum quoque est *sortilegium*, seu *sors divinatoria*, nempe cum exposcitur a dæmone expresse, aut tacite revelatio occultorum aut futurorum, sorte aliquem numerum, aut signum accipiendum. Contra vero est licita *sors divisoria*, quæ adhibetur ad bono-

(1) Lib. 3. n. 4. et seqq. — (2) n. 10. v. Quær. inde. — (3) n. 9. — (4) n. 24.

rum divisionem, aut ad lites præcipientas, aut ad distribuenda officia sæcularia, inter æqualiter dignos, Sed non licet ea uti in beneficiis, aut officiis ecclesiasticis (5).

35. Hic adverte omnino illicitum esse usum virgæ bidentis, quam vocant *virgam divinatoriam*, ex cuius declinatione inveniuntur thesauri absconditi, metalla, aquarum venæ, aut prædiorum termini translati. Nonnulli admiserunt hoc, ut effectum naturalem; sed quomodo (nos inquirimus) hæc virga potest naturaliter moveri ad intentionem ea utentis, quandoquidem si aquam quærit, virga inveniens thesaurum non movetur? præterquam quod observatum est, quod si quis præmiserit protestationem non consentiendi concursui diabolico, etsi res conquisita ibi esset, virga immota stetit (6).

36. *Vana observantia* est usus alicujus medii improporionati ad obtinendum aliquem effectum, ut est uti inspectione certarum figurarum, aut cæremoniarum, aut signorum, aut certarum orationum tali situ recitarum, aut cum verbis sacris, aut vanis mixtarum, aut cum fiducia certa prolatarum, ut aliquam scientiam acquirat sine studio, aut ut liberetur ab aliqua infirmitate, aut vulnere. Omnes istæ sunt vana observantiæ, quæ sunt graviter illicitæ. Et de istis præcipue interrogandi sunt milites, nutrices, veterinarii, seu jumentorum medici, pastores, et rustici (7).

37. Advertatur nihilominus hoc, quod dicit s. Thomas (8), quod ubi non adsunt manifesta indicia malitiæ alicujus effectus, in dubio præsumi debet, quod proveniat ex causa naturali; unde est valde probabile licere usum pulveris *sympathici* admoti super sanguinem effluxum, ut hunc inhibeat amplius ex vulnere

(5) n. 44. — (6) Cont. Tournely tr. de rel. p. 3. c. 2. cum alijs. — (7) Lib. 3. n. 44. — (8) 2. 2. q. 60. a. 4.

profluere, modo statim, et in distantia proportionata applicetur. Ita nec videtur esse prohibitus usus corallorum, et quorundam animalium unguentorum, ut naturalis effacatio evitetur certorum, qui ea noxia qualitate scatent, ut aspectu suo aliis nocere soleant. Ceterum in hujusmodi remedium genere, quæ innoxia videntur, satis erit, ut omnis scrupulus auferatur, si protestatio præcedat cuilibet diabolico operi nolle consentire (1).

## PUNCTUM II.

### DE IRRELIGIOSITATE.

38. Irreligiositas tendit contra reverentiam Deo debitam. Prima species hujus vitii est *tentatio Dei*: hæc potest esse vel formalis, vel interpretativa. *Formalis* est quando aliquis expresse dubitat de aliqua divina perfectione, et de ea vult periculum facere. Hæc est peccatum mortale; et quando accedit dubitatio positiva, est etiam hæresis. *Interpretativa* est, quando aliquis omittit media naturalia, et vult quod Deus per miraculum eum liberet ab omni malo; v. gr. si cupit spretis medicinis ab infirmitate curari a Deo, aut si velit, dum ipse in aliquod vitæ discrimen se conjicit, ut Deus ab omni damno eum liberet. Et hæc per se etiam est mortale, nisi quis excusaretur, aut quia aliquo divino impulsu, aut ab ignorantia ductus illud faceret, aut materiæ levitate, puta si neglectis remediis a levi infirmitate sanitatem a Deo expectaret (2).

39. Secunda species est *sacrilegium*, quod triplex est, personale, locale, et reale. *Personale* cum percussit clericus, aut monachus, aut turpiter agit cum persona voto castitatis obstricta. *Locale*, cum aliquid committitur, per quod polluitur ecclesia, nimirum si in ipsa effunditur semen humanum, aut sanguis in ali-

(1) L. 3. n. 20. et 22. — (2) L. 3. n. 29 et 30.

qua copia. Dubitatur autem an per occultam seminis effusionem polluitur ecclesia? Alii negant, et non improbabiler; sed alii probabilius affirmant (3). Et idem dicimus de usu matrimonii, ideoque omnes hæc actiones sunt sacrilegia. Ita etiam probabilius sacrilegia sunt omnes tactus, aspectus, sermones impudici in ecclesia habiti (4); observetur quod dicitur supra hoc puncto in *Tract. IX n. 22, et 23*. Hic obiter advertatur nemini quacumque prædicto dignitate modo non regali, licere indicare, ut sibi ad ecclesiam deferatur stratus, secus statim cessandum a Divinis, et ministri ecclesiæ ipso facto excommunicationem incurrunt, et ecclesia tamquam interdicta habenda est. Hoc decretum fuit a S. C. Cærem. quæ ait: «Proposito in S. C. Cærem. quodam abusu inter alios, qui de recenti in Urbe irperserunt, eadem S. C. ad eum omnino tollendum die 30. augusti 1701, decrevit: «Non licere cuicumque, etc. (personis regalibus tantum exceptis) ad ecclesias strata sibi deferri facere, secus cessandum immediate a Divinis: quod nisi servetur, rectores, cæterosque ministros ipso facto excommunicationem incurrere, eamque ecclesiam esse pro interdicta (ita adnotatum reperitur in Bullario Clementis XI. part. 3. Decr. 1. Cæm). Deinde subjungitur: *Et facta relatione Sanctitas sua* (i. e. præfatus Clemens) *Decretum approbavit, nec non promulgari, atque executioni tradi, et in omnibus Urbis sacrariis affigi mandavit die 3. octob. 1701.*» Hoc omne refertur a *Ferraris* in sua *Bibliotheca* (5), qui etiam refert (*ibid.*) vetari pluribus ex Decretis S. R. C. dare intra Missam laicis (etsi præsidibus) Evangelium osculandum, uti etiam dare illis usum baldachini, et illos admittere ut assistant in presbyterio. Ad nostra au-

(3) n. 36. et 458. — (4) n. 458. 459. 461. — (5) Ferrar. biblioth. tom. 3. verba Ecclesia, art. V. n. 28. et 29.



tem redeuntes dicimus furtum rei ecclesiis commodatæ, aut in eis repositæ, ut custodiatur, procul dubio esse sacrilegium. Probabile autem est furtum cujuslibet rei profanæ, quæ ad ecclesiam non pertinet, non esse sacrilegium, sed nobis probabilius videtur esse quidem (1). Pro loco sacro intelligitur quilibet locus ab Episcopo ad divina officia, aut mortuos tumulandos destinatus a tecto ad solum (2). Sacrilegium reale est illicita administratio, aut receptio Sacramenti, aut reliquiarum, aut imaginum, aut vasium aut vestium sacrarum, aut alterius rei, quæ consecratur, aut benedicitur, profanatio. Sacrilegium quoque est sacræ Scripturæ verborum abusus, ad turpia, aut detractiones ea detorquendo. Sacrilegium pariter est reliquiarum Sanctorum surreptio, cum dominus est graviter invitus (3).

40. Tertia species est *simonia*, quæ definitur: *Studiosa voluntas emendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali annexum*. Et ut clarius explicetur, est malitiosa voluntas, qua intenditur pretio emi aliquid spirituale, aut spirituali annexum, ut sunt redditus beneficiorum vestes sacræ, et etiam labor intrinsecus in administratione Sacramentorum (4). Simonia quadruplex est, mentalis, conventionalis, realis, et confidentialis. *Mentalis* est, cum aliquis dat temporale animo obligandi aliquem ad reddendum spirituale, aut contra, sine ulla conventionem. *Conventionalis* est, cum intercedit pactum, sed a neutra parte executioni mandatum. *Realis* est, cum pactum effectu completum est (5). *Confidentialis* denique est, cum aliquis renuntiat alteri beneficium cum pacto, ut in posterum sibi ipsi, aut alteri illud cædat, aut renuntiet, aut cum onere, ut sibi partem proventuum reddat (6).

41. Dona, quæ habent rationem

(1) Lib. 3. n. 39. — (2) n. 460. — (3) n. 40. — (4) n. 49. — (5) n. 67. — (6) n. 85.

pretii in emendo spirituale, nuncupantur *munus a manu*, *munus ab obsequio*, et *munus a lingua*. *Munus a manu* comprehendit quodlibet temporale pretio æstimabile, ut pactio vendendi, aut mutuandi, etc. debiti remissio, aut solutio (7). *Munus ab obsequio* est quodlibet servitutum præse ferens. *Munus a lingua* est quælibet intercessio, etiamsi sit mediata, quæ pretio digna est. Dare autem aliquid mediatori ob laborem, aut damnum subeundum, non est ex se illicitum, est tamen periculosum (8).

42. Simonia altera est *juris divini*, *juris humani* altera. *Juris divini* est Sacramentorum ceterarumque rerum sacrarum venditio. *Juris humani* est venditio officiorum ad res sacras institutorum, ut sunt officia sacristæ, œconomi, thesaurarii, præfecti domus, vicedomini, et advocati ecclesiæ. Et hic notandum posse dari simoniam juris humani, quin sit juris divini (9).

43. Est etiam simonia juris divini admissio alicujus in religionem ob bona temporalia: nisi dentur dumtaxat ad conciliandam benevolentiam, aut quia monasterium esset pauper, aut postulans esset senex, aut infirmus, ita ut ille esset oneri monasterio. Et propterea dicimus, quod si monasterium esset opulentum, non licet his præcis conditionibus aliquid accipi ab ingredi volentibus, ob sui sustentationem, exceptis monasteriis Monialium, quæ semper possunt acceptare dotes prout declaravit Clemens VIII. (10).

44. Dubitatur 1. An serper sit simonia dare temporale pro spirituali? Juxta communioem et veriorum sententiam negatur, quando temporale datur non jam ad obligandum, sed ad conciliandam benevolentiam. Nihilominus advertendum est, ut habetur ex propos. 46. ab Innoc. XI. proscripita, certe esse simoniam dare temporale (præcipue cum datur in

(7) n. 56. et 57. — (8) n. 64 et 65. — (9) n. 68 et 69. — (10) n. 91 et 92.

aliqua notabili quantitate) ob principalem finem obtinendi spirituale (1). Communissime autem dicunt Salm. cum Cajet. Suar. Less. Laym. Tolet. etc. contra Azor. et alios paucos, quod liceat dare aliquid temporale, v. gr. Episcopo, primario ad captivandam suam benevolentiam, secundario ad obtinendum beneficium. Ceterum recte advertunt Ronc. et ipsi Salmant. cum Sanch. et Bonac. quod cum datur temporale solo intuitu rei spiritualis, vel contra, tunc facile præsumenda est intentio saltem virtualiter simoniaca, ut eruitur ex *cap. Tua nos, de simon.* Excepto, ut aiunt, nisi constet de opposito, vel aliter colligatur ex circumstantiis, nempe ex parvitate muneris, vel ex pietate, aut opulencia dantis (2).

45. Dubitatur 2. An liceat aliquid recipi ob Sacramentorum administrationem? Nulli dubium est non licere accipere tanquam pretium rei sacræ, aut laboris intrinseci ipsiusmet administrationis; secus vero extrinseci, v. gr. si sacerdos celebratum iturus esset in locum longinquum, aut in hora, aut tempore incommodo. Et quamvis non esset labore extrinsecus, licet accipere temporale, non tanquam pretium, sed tanquam stipendium sustentationis ministri, qui occupatur in alterius gratiam, quamvis minister non esset pauper. Id est commune cum s. Thoma (3). An autem sit lethale administrare Sacramenta, concionari, assistere in choro principaliter ob temporale emolumentum. Alii affirmant; sed alii, ut Sotus, Suar. Silvest. Sanch. Salmant., etc. communius et probabilius negant, eadem ratione superius allata, quia stipendium non recipitur, uti pretium rei sacræ, sed tanquam stipendium debitum personæ, quæ in proximi gratiam occupatur. Ceterum videtur non posse excusari saltem a veniali, qui spiritualia munia ad bo-

(1) n. 51. — (2) Lib. 3. n. 51. v. Cæterum. — (3) n. 55. — (4) Lib. 3. n. 55. v. Quar. VI.

norum temporalium acquisitionem ordinat (4).

46. Dubitatur 3. An beneficiorum venditio sit prohibita etiam de jure divino? Probabilius s. Thomas et alii affirmant. Nihilominus Papa potest a spirituali beneficii separare temporale, uti sunt fructus, et ita ex suo assensu potest efficere, ut aliquis, soluto aliquo pretio temporali possit assequi beneficium (5).

47. Dubitatur 4. An sit licitum permutare res sacræ? Si ambæ sunt mere spirituales, puta Missam cum rosario, etc., utique licitum est eas permutare. Si sunt mixtæ, oportet distinguere cum s. Thoma, et communi. Si temporale subsequitur spirituale, ut fructus subsequuntur beneficium, tunc illicita est permutatio sine Pontificis permisso, ut saltem Episcopi, ut aliqui asserunt. Secus vero si temporale sit annexum antecederet spirituali, ut argentum vasis sacræ, pannus vestibus sacræ, et alia hujusmodi. Hæc bene possunt vendi, et permutari, modo habeatur ratio tantum pretii intrinseci rei (6).

48. Dubitatur 5. An sit simonia dare aliquid, ut alter omittat rem spiritualem? Distinguendum, et affirmandum, si omissio est de re directe a potestate spirituali, et adest obligatio eam ponendi, uti esset omissio absolvendi, dispensandi, eligendi etc., ita ex *cap. Presbyter, de simon.*, ubi prohibetur negare propter aliquod lucrum temporale absolutionem poenitentibus, modo illa non esset injusta, aut sacrilega. Negandum vero esse simoniam, si omissio esset alicujus actus spiritualis pendens a libertate, ut esset omissio orandi, celebrandi, largiendi elemosynam; dummodo omittens non teneatur ex justitia ad id præstandum (7).

49. Dubitatur 6. An liceat dare aliquid, ut se redimat a vexatione, ut beneficium, aut aliquid aliud spi-

(5) n. 70. — (6) n. 72. — (7) n. 97.



rituale assequatur? Duas affert Doctor angelicus regulas. *Prima* est, quod si acquisiverit jus *in re*, et jus est certum, bene potest redimi vexatio dando aliquid temporale (non tamen spirituale) (1). Et hoc procedit etiam de vexatione circa possessionem beneficii pro eo, qui jam acquisiverit jus, nam actio possessionis est mere temporalis (2). *Secunda regula* est, quod si jus est *ad rem*, vexatio nullo potest redimi pretio etiamsi elector injuste negaret suum suffragium, ut communiter dd. et habetur ex *cap. Matthæus, de simon.* Nihilominus excipitur cum Suar. Castrop. Anacl. et Elbel, si tu pecuniam tradidisses alicui, qui tantum posset obesse, et non prodesse, ut abstineat tibi nocere, etiamsi ille nullis malis artibus hoc faceret, sed precibus, aut donis ob livorem in te conceptum impedire vellet electores, quominus tibi beneficium conferrent ut recte dicunt Suar. Anacl. et Salm., etc. quia cum sit temporalis talis iniqua vexatio, bene potest eam redimere pretio temporali. Et propterea paucis abhinc annis, cum delatus fuisset ad summum Pontificem Benedict. XIV. casus, quo cum quidam sacerdos diœcesis Nusci nominatus fuisset ad canonicatum in una insigni illius diœcesis collegiata insurrexit quidam laicus, qui potentia valebat in curia episcopali, et poscit a præfato sacerdote certam summam non immodicam, alias multa crimina ei affigeret, quibus pro canonicatus honore decorando, reus in curia sisteret. Sacerdos hoc timore incussus, cum omnium eorum, quæ ab illo opponi sibi intendebantur, culpa vacaret, promisit se daturum quidquid ille turpiter postulabat, et præstitit; et ita a canonicatus consecutione non impeditus fuit. Post multos annos re Romam ab Episcopo successore delata, Pontifex dixit, si forsitan indigeret talis provisio convalidatione, se convali-

(1) L. 3. n. 98. — (2) n. 99.

dare eam, et decrevit talem canonicum permansurum in eodem gradu; unde apparet quod Papa non habuit pro certe invalidam collationem, sed voluit ad securitatem sic agere, quia sic fuit postulatus, ut ageret. Secus tamen dicendum cum Suar. Anacl. Salmant., etc. si ipse esset elector, qui non solum posset obesse, sed etiam prodesse (quidquid dicat Castropal. qui tenet posse dari pecuniam tantum ad removendum illius pravum animum); quia illa pecunia de factis semper efficeret, ut deflecteretur erga te illius animus, et consequenter gratiam sollicitat ad beneficii consecutionem. Casu autem, quo elector fraudibus, et vi moliretur alios electores subornare, ut ei suum suffragium negarent, tunc communiter dicunt Less. Soto, Suar. Fill. Sanch. Salm. Croix, Bus., etc. posse pecuniam redimi talem injustam vexationem. Et hoc mihi videtur satis probabile, cum (ut ait p. Mazzotta) daretur ei pecunia cum expressa protestatione, quod nihil ab ipso petitur, nisi ut a vexatione desistat (3). Illicitum est autem pecuniam dare competitori, ne concurrat, si ille iuste potest concurrere (4). Contra licet pecuniam dare, ne eligatur indignus, aut minus dignus (5). Et ita pariter licitum est pecuniam illi offerre, qui injuste renuit Sacramenta ministrare, accedente tamen causa gravi ea suscipiendi, nam hoc etiam est redimi ab injusta vexatione (6). Gerson, Cajet. Suar. Less. et Spor. cum s. Bonav. Vasq. Pont. et aliis communiter.

50. Pœnæ vero a sacris Canonibus in simoniacos inflictæ, sunt sequentes: 1. Propter simoniam pro ingressu in religionem, communitas incurrit suspensionem, et particulares *id presumentes*, ut loquitur textus (7), excommunicationem papalem. Sed hæc probabiliter tantum incur-

(3) n. 400. et 402. — (4) n. 403. — (5) ibid. — (6) L. 3. n. 403. v. Quær. 5. — (7) C. r. Extr. de simon.

ritur in professione; imo multi dd. dicunt illam in desuetudinem abiisse (1). Et hic advertatur, quod omnes electiones simoniacæ ad generalatum, rectoratum, et ad quodlibet officium spirituale in religione sunt irritæ; ut habetur ex textu (2).

51. II. Propter simoniam in collatione Ordinum (non tamen primæ tonsuræ) Episcopus ordinans, et mediatores incurritur excommunicationem, et suspensionem Papæ reservatas, ac interdictum ab ecclesiæ ingressu. Ordinati vero præter excommunicationem, et suspensionem Ordinum (sed probabiliter eorum tantum simoniacæ susceptorum) prohibitum est eis ascendere ad superiores Ordines. Hoc tamen non procedit cum simonia ab aliis, ordinato inscio, commissa est (3).

52. III. Propter simoniam realem in beneficiis irritæ sunt omnes præsentationes, electiones, etc. Quare simoniacus nequit retinere beneficium, neque fructus ab illo perceptos (4). Et hoc etiamsi beneficiatus invincibiliter prædictam pœnam, et simoniam commissam ignoraret, si v. g. patrata fuerit a quodam tertio, ut habetur *ex cap. Nobis de simon.* Excipiuntur tamen, 1. Si beneficiatus contradixerit, et postea simoniam ignorando acceptaverit beneficium. 2. Si ille tertius commiserit simoniam hoc dolo, ut illum redderet inhabilem ad beneficium. 3. Si pacifice tres annos in beneficii possessione fuisset, ut communiter dd. Exceptis dictis casibus, recipiens simoniacæ beneficium, præter excommunicationem papalem per Bullam s. Pii V. *Cum primum* an. 1566. *qui beneficium ecclesiasticum simoniacæ adeptus fuerit perpetuo* fit inhabilis ad ea, et ad quæcumque alia (ita ut etiam per *Extrav. Pii IV. In sublimi*, si nollet omittre beneficium, non posset absolvi); et præterea pri-

(1) I. 3. n. 408. v. Certum. — (2) Extrav. 2. de simon. — (3) Lib. 3. n. 409 et 410. — (4) Extr. 2. de simon.

vatus existit etiam illis beneficiis, quæ antea obtinuerit. Attamen juxta communiorem et probabiliorum sententiam, quam tenent Navar., Suarez, Less., Sanch., Laym., Anacl., Ronc., Croix, etc. dictæ pœnæ non incuruntur, nisi simonia sit ab utraque parte completa; et hic est stilus curiæ, ut testantur Nav. et alii (5), excepta tamen confidentiali, in qua sufficit, ut tantum temporale sit præstitum juxta Bullam s. Pii V. (6). Et quamvis simonia sit completa, illa duæ pœnæ privationis et inhabilitatis non incuruntur, nisi post sententiam condemnatoriam, ut communissime Bonac., Castropal., Sanch., Laym., Filiuc., etc. (7). Nec obstat Bulla Pii V. quia (ut dicunt præfati dd.) illa intelligitur valere pro foro externo, cum ibi dicatur *Quicumque convictus fuerit*; saltem in eo sensu recepta est.

53. IV. Propter simoniam confidentialem, præter pœnas impositas adversus realem, incurritur etiam privatio aliorum beneficiorum etiam antea obtentorum; sed probabiliter non quidem ante sententiam delicti declaratoriam. Advertatur tamen quod per Tridentinum *Sess. 24. c. 18.* cum statutum sit examinatores synodales qui ratione examinis aliquid accipiunt ab eis qui ad beneficia curata concurrunt, tam examinatores accipientes, quam dantes fieri inhabiles ad beneficia obtinenda, ac non posse absolvi a simonia, nisi *dimissis beneficiis*, deducitur quod præfati ipso facto, et quidem ante omnem sententiam, omnibus beneficiis, quæ etiam ante collationem simoniacam obtinuissent, privati existunt.

Denique notandum hic 1. quod præfate pœnæ incuruntur tantum propter simoniam in materiis descriptis, nempe in materia religionis ingressus Ordinum, et beneficiorum, non vero in venditione rerum sacrarum, aut ecclesiasticæ jurisdictionis.

(5) Lib. 3. n. 406. — (6) Ibid. v. Not. 3. — (7) n. 412. v. Quær. 3. et Quoad autem.



nis, aut capellamarum non collationum (1). Notandum 2. quod pretium acceptum pro simoniaca collatione beneficiorum, aut Ordinum, aut Sacramentorum, si excedit quod poterat a ministro exigere (loquendo de Sacramentorum administratione, ut dictum est *præc. n. 45.*) pro sua sustentatione, restituendum est illi, qui illud tradidit ante traditionem rei spiritualis; si autem postea traditum fuisset, tunc, licet probabile sit posse restitui eidem, nihilominus probabilius est cum s. Thoma restituendum esse Ecclesiae, aut pauperibus. Quoad autem fructus beneficii simoniace acquisiti, isti restituendi sunt Ecclesiae, et probabile est posse dari pauperibus, aut successori in beneficium, et potest etiam obtineri compositio a Papa. Quod autem acceptum est pro admissione in religionem, non est restituendum, nisi post sententiam, et interim potest retineri pro alimentacione communitatis (2). Notandum 3. quod ab excommunicatione et suspensione ob collationem Ordinum, vel beneficiorum, aut ob admissionem in religionem incursis, si publicæ sint, solus Papa potest absolvere; sed si occultæ, possunt etiam Episcopi juxta communem sententiam per *Trident. cap. Licet. 6. sess. 24.* Et Salmant. cum Less., Sa, et Castropal. dicunt posse etiam mendicantes, ad dentes quod Bulla Pii V. quæ quoad hoc revocavit omnia privilegia Regularium, non est recepta; sed hic

nequeo intelligere, quomodo revocatio privilegiorum opus habeat acceptatione, cum in tantum Regulares prius poterant, quia Pontificibus sic placuit; ergo si eis ablata fuit ab eodem iurisdictione, qua potestate possunt sibi talem iurisdictionem vindicare? Vide dicenda *Tractatu 20. num. 17. circa fin.* Sed quicquid sit de hoc, certum est per Clementem VIII. ablatam fuisse Regularibus extra Urbem, et intra Italiam facultatem absolventi secularia a simonia reali, et confidentiali. Vide *Tract. 20. de privilegiis num. 99.* Quoad inhabilitatem ad alia beneficia Episcopus potest dispensare, dummodo crimen simoniæ non sit deductum ad forum contentiosum, et modo non sit confidentialis (3). An autem possit Episcopus dispensare cum simoniaco ad obtinendum idem beneficium? Respondetur quod si beneficium (sive sit curatum, sive simplex) scienter fuerit receptum simoniace, non potest Episcopus dispensare: si autem simonia commissæ fuerit a tertio, et beneficiatus receperit beneficium inscius simoniæ, tunc potest Episcopus dispensare, sed non tamen ante renuntiationem beneficii; Navar., Sanch., Salmant., etc. Si autem beneficium est curatum, non potest Episcopus dispensare in illa vacatione, potest vero in alia, Panorm., Pal., Salm., etc. (4).

De *perjurio* autem, quod est quarta species irreligiositatis, fiet sermo in *Tract. seq. Capit. 2*

## TRACTATUS V.

### DE SECUNDO PRÆCEPTO DECALOGI

#### CAPUTI.

##### DE BLASPHEMIA.

1. Quando committitur blasphemia.
2. De maledictione creaturarum.
3. ad II. De maledicentia in mortuos.

1. Blasphemia committitur aut attribuendo creaturæ aliquod attributum

(1) Lib. 3. n. 442. — (2) n. 444. ad 446.

tum divinum, ut si vocaretur *dæmon sanctus*, etc. aut aliquod concivium in Deum, vel Sanctos, vel in res sanctas, aut in dies sanctos proferendo, ut si quis malediceret alicui Sancto, dicendo: *Male habeat sanctus N. Male eveniat Ecclesie.*

(3) L. 3. n. 417. — (4) n. 448

*Maledictum sit Pascha, sabbatum sanctum*, etc. quam quidem execrationem vulgo rudes exprimunt per verbum, *Mannaggia*. Etiam Blasphemia est dicere: *Deo invito hoc fiet; O sanguis Christi!* (ira excandescens in Dominum): *Deus non juste operatur*. Et hoc postremum esset etiam blasphemia hæreticalis; itaque si serio prolata esset, qui eam audiret, infra mensem teneretur ad denunciandum. Blasphematur etiam factu v. gr. spuendo versus cælum, conculcando imagines, coronas, etc.

2. Dicere autem *Atta sancti N.* non est blasphemia, nec etiam *Potta*; nam hoc verbum tantum significat in nostro idiomate interjectionem indignantis. Nec esset blasphemia dicere *Mannaggia santagata. Male habeat Santagata Sanctusermus, Sanctusmenna*, etc. quando intelligitur locus, et non Sanctus. Nec item erit blasphemia maledicere creaturis, nimirum igni, vento, pluviae, etc. nisi addatur verbum *Dei*, aut nisi essent eæ creaturæ, quæ speciali relatione referuntur ad Deum, aut in quibus peculiari modo relucet divina potentia, prout sunt anima, cælum, etc. Item dicendum puto de maledictione mundi, modo non intelligatur mundus pravus, quomodo accipiebatur a Jesu Christo, cum dixit: *Si odit vos mundus: Ego vici mundum*, etc.

3. Maledicere *Fidei* alicujus, ex se non est blasphemia, nisi exprimeretur *Fides Christi*, aut *Fides sancta*: quia cæterum nomine fidei potest etiam accipi fides humana. Nec est blasphemia maledicere *mortuis*, nisi mens specificè ferretur ad animas purgatorii, aut nisi malediceret mortuis sanctis aut Christi. De hoc puncto jam egi in opere morali (1): sed quoniam de hoc puncto usque adhuc ab aliis auctoribus minime actum est, lubet hic majore qua possum claritate de hoc tractare, præcipue ut satisfaciam cuidam auctori

anonymo, qui quadam sua epistola nonnulla objicit.

4. Itaque affirmo maledicere mortuis natura sua non esse blasphemiam neque ex se, neque relative ad eos, qui ea verba effutiunt. Primo non est blasphemia ex se, dum hoc verbum *mortui* proprie est terminus privativus, qui significat homines vita privatos, qui amplius non existunt in præsentem, et in hac suppositione vox *mortui* non denotat nec animam, nec corpus. Qua de re philosophico rigore loquendo qui maledicit mortuis, nemini injuriam irrogat, dum maledicit illi qui existentiam non habet.

5. Dicit aliquis: Sed hic vox *mortui* accipitur non tanquam terminus privativus, sed tanquam *analogus*, nempe quod possit referri tam ad corpus, quam ad animam defuncti. Respondeo primo quod qui sic loquitur, jam loquitur de relatione, qua mens ad aliquod fertur; sed ego loquor de eo, quod importat ex se vox *mortui*. Sed dato quod accipienda sit talis vox tanquam terminus analogus, respondeo secundo, quod sub hac voce *mortui* principaliter, et in recto, ut aiunt philosophi, venit solum corpus; quod dumtaxat potest dici mortuum, non autem anima, quæ non moritur. Anima enim potest tantum in obliquo intelligi, dicendo v. g. anima mortui, ex eo quia aliquando fuit forma corporis illius, cui dedit vitam. Sed supposito quod vox *mortuus* principaliter respiciat corpus, et minus principaliter, et ut melius dicam, improprie denotet animam; cum aliquis nominat *mortuos*, ex se loquendo non intelliguntur animæ illorum, sed corpora. Ut intelligantur animæ, opus est ut ipse aut mente intendat de animabus loqui, aut animas denotent cetera verba sermonis, ut est illud, quod scriptum habetur in libro 2. Machabæorum 12. 46.: *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis orare*. Hoc

(1) Lib. 3. n. 430.